

tur, sed posteriore dimidio situ paene consumtus est. Init L. I. *De causa dei contra pelagium et de virtute causarum domini thome de wrawardin doctoris profundi Cantuarien. Archiepiscopi. Magnorum ac multorum petitionibus ac repetitionibus cumulatis incessanter sollicitor &c.* Praefatio haec est; O-

Finito libro sit laus et gloria christo.

Visum scribentis benedic deus atque legentis.

Nomen scriptoris si tu cognoscere velis,

Ste tibi sit primum, medium phanus sit in ymum.

Anno domini M^o. CCC. LXXXI^o. obiit Mater scribentis illum librum nomine *Margareta* &c. et tunc currebat annus tricesimus scribentis a tempore natiuitatis suae. Gessit deinceps Vir hic Parochus in *Atzpach* et S. *Stephani* Canonicus a. 1391. et 1397. fascis Academicos. Sequitur mox Operis nostri *Liber II.* verum quo profundius intras Codicem, crebrescunt deferta et inhospita tesqua.

DCXIX.

U. 468 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 164. f. per duas columnas exaratus et rubricis distinctus est Exemplar tertium Operis mox relati, integrum, et quod ad calcem ita habet: *Explicit istud opus de causa (Dei) contra pelagium et de uirtute causarum (et de) virtute Dei cause causarum scriptum wienne Anno a natiuitate domini &c. (14)74. 13^o Junij et 7^a lunacione Mai et hora 20^a finitum per manus Johannis.*

Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

pus vero ipsum sic inchoat: *In primis supponatur quod deus est summe perfectus et bonus &c.* ut in *Edit. suprac.* nisi quod utraque absit ad *Mertonenses Epistola.* Ad calcem: *Explicit primus liber huius summe per manus Stephani de enczestorf a^o* (fortasse *Austriaci*)

DCXX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 322

Folior. 25. f. currente calamo exaratus maximam partem ad *Acta Job. Capistrani O. M.* in *Germania* pertinet, et exhibet 1) ejus Literas ad *Academiam Viennensem* datas *Znoyma 24. Sept. 1451.* hujus initii: *Nolo vos admirari clarissimi Virique celeberrimi diuturnum silentium meum.* &c. Optat, ut locus habendi cum *Rokyzana* et *Bohemis* de *Fidei negotio Colloquii* a Rege *Ladislao* designetur, intersintque *delecti* ex *Academia Theologi*, nec obscure innuit, *Viennam* sibi *praeplacere.* Nullibi harum *Literarum* mentionem reperio. *Waddingus* in *Annalib. Minor. T. XII.* ad an. 1451. ne quidem *Znoymae* meminit.

2) Literas *Job. Rokyzanae* ad *Capistranum* absque notis chronol. Ineunt: *Salutem et salutis opera facere et docere. Obsecro te frater religiose in christo dilecte &c.* Editae sunt ab *Amando Hermann*

S

in

in *Capistrano triumphante* *Se&*. 18. c. 6. p. 367. qui tamen *Joh. Borotinum* autorem facit se peranti-quo; ut ait, *Codice* *Conventus Javoriensis*.

3) Epistolam apologeticam, nescio ad quem *Adversariorum*, *Joh. Capistrani*, quae incipit: *Frater Johannes de capistrano Ordinis minorum minimus et indignus cum spiritu salutari gratiam sempiterni luminis. Conuenit strenuis pugilibus &c.* Graviter in ea conqueritur contra *Detractores* suos et praecipue *Joh. Rokyzanam* spargentem, se dixisse: *quod omnes qui communicant vel communicauerunt sub utraque specie dampnati sunt et dampnabuntur*, et *Propositiones VI.* a se dictas repetit et stabilit addendo in fine: *Hic sequitur prolixus tractatus, quem in olomuncz et brunne composui et intendo destinare sacre vniuersitati Wienn. cum totum composuero.* Difficile est dispicere, quem *Tractatum* velit *Johannes* ex iis, quos enumerat *Waddingus* in *Bibl. Ord. Min.* De ipsa autem Epistola silent omnes, quos inspexi, nisi quod *Waddingus* *Annal. T. cit.* p. 95. generatim notat, *Johannem* criminatorem respondisse acutis et eruditis Epistolis.

4) Hic sequitur alia epistola magistri *Johannis Woratin*. Dedit eam *Vol. I. P. 3. col. 1588.* *Optans ante omnia tuam proximorumque tuorum salutem &c.* Sed ibi *Rokyzanae* tribuitur, quod parum refert; ait enim *Annalista cit.* p. 94. Tam *Rokyzanae* quam *Borotini* extant amarulentae in

Capistranum literae. Malis tamen in hac materia audire loquentem priorem Theologum, quam posteriorem Astrologum et Medicum. Confer *Vol. meum I. P. 2. col.*

5) *Responsum Capistrani*, quod incipit: *Scribis te optare Johannes Woratin meam proximorumque meorum salutem &c.* et relatum est a me *Vol. I. P. 2. col. 1589.* ubi ineditum dixi; quae si ueram enim apud *Herman. cit.* sub nomine *Rokyzanae*, qui tamen p. 368. *Borotinio* tribuit, ut praesens *Codex* *Defuere Hermano* notae diplomaticae, quae in *Exemplo nostro* sunt: *Ex brunna 2° die septembr. anno L. I^{mo}.*

6) Epistola *Joh. Rokyzanae* ad *Joh. Capistranum*, cujus initium: *Fama discurrente frequenter audiuius &c.* prout extat apud *Cochlaeum Hist. Hussit. L. 10.* in *Annualib.* *O. M. T. cit.* p. 92. apud *Herman. cit.* p. 345. et nobis *Vol. I. P. 2. col. 1589.* Verum in praesenti *Exemplo*, quem nullus habet, *Codicillus* additur in hunc sensum: *Sequens scriptum breui papiro exaratum manu propria transmittito. Fama perstrepens in ipsa uolat pragensi ciuitate vos dicere in contemptum fidelium bohemos, quod laici specie sub utraque communicantes eterni ignis iudicio torquebuntur. Ab exordio Turbarum Hussiticarum factionis Duces contemni et infamari Bohemiam crepabant, bene gnari, quam efficax hic sit in Populo generoso stimulus.*

7) Responsum *Capistrani*, quod incipit: *Tuas honestas quales alii non dixerunt &c.* Ita locis omnibus mox *citt.* Sed certe legendum *direxerunt*; non enim *dicuntur* ad aliquem *Literae*, sed *diriguntur*. Subjectus est et hic *Codicillus paullo corruptior: Frater Johannes de capistrano ordinis minorum minimus et indignus manu propria me (subscribo, quod) non in contemptum fidelium bohémorum sed in spe et desiderio reductionis deviorum ad unionem ecclesie katholice et obedientiam summi presulis romani laicis sub una tantum specie communicandum iuxta ritum et observantiam sacrosancte ecclesie prelibate efficaciter predico pro eterna sua salute.*

8) ἀδεσπότης Expositio Passionis Dominicæ, quæ per dialogum cum B. V. Maria ita ingreditur: *Dic si in Jerusalem eras quando captus fuit filius tuus, et vinculus ad annam ductus. Ait illa. In Jerusalem eram et quando hoc audiui gressu qualicumque potui ad dominum meum usque perueni &c.* Dialogum quis putet olim *Anselmo* tributum, sed a *Gerberonio* inter *Spuria* ablegatum edit. *Parisi.* 1721. p. 488. Verum longe aliter procedit, et mox a colloquio in descriptionem defleat, finitque: *donec ipsa die resurrectionis ab ipso dulcedine est consolata. Amen.* Quod *Tractatio* hæc *Capistrani* *Literis* adjuncta est, quidni ad ipsum pertineat, præsertim *Waddingo* inter *Opera* ejus *Scriptum de Passione Domini* censente.

9) Post aliquot folia vacua habetur prolixa illa *Aeneae Silvii* ad *Job. Carvajalium* *Card. S. Angeli* *Epistola*, qua suum cum *Georgio Podiebradio* refert dialogum, ut jam retuli *Vol. I. P. I. col. 503.* et legitur in *Aeneae Opp. Basil.* 1571. *Epist. L. I. n. CXXX. p. 660. f.*

10) Ejusdem *Aeneae* *Epistola* invitatoria ad *Job. Capistranum*, ut *Neostadio* ad sacros labores *Viennam* se conferat, data inde 1452. 5. Jun. sed rescribere 1451. *Averdoros* est, ut dixi *Vol. I. P. I. col. 517.*

11) Claudit agmen *Diploma* *Friderici III. Imp.* quo *Aeneae Silvio de Picholominibus Senensi* *Lauream poeticam* decernit. *Fridericus Rex Romanorum &c.* *Notum facimus tenore presentium uniuersis. Vetustissimi presentisque eui tradunt Hystorie &c.* *Commemorato Julii Caes. et Augusti* *Poetas* colentium exemplo, usuque eos in *Capitolio* coronandi, quo ad *Petrarcham* adludit, ita profectur: *Animaduertentes etiam quod in defuetudinem jam abiit illa ipsa solempnitas, conuertimus aciem mentis nostre in poetam eximium et preclarum Eneam Siluium de picholominibus Senensem nobis et Imperio sacro deuotum, de cuius profunda scientia morum grauitate clarissimisque nature sue dotibus experimentum verax habemus — tanquam sufficientem et dignum sedentibus nobis in nostro consilio Magistrum poetam et hystoricum eximium declarantes preclari magisterij*

1395

I C O D I C E S

1396

sterij nomine auctoritate Romana regia insignimus ac manibus proprijs perornamus bis semper viridibus lauri ramis et folijs ipsum sollempniter decorantes; — dantes eidem Enee legendi disputandi interpretandi et componendi poemata liberam ubique locorum tenere presentium facultatem decernentesque eum eisdem priuilegijs immunitatibus honoribus officijs dignitatibus vestitu auro et alijs quibuscunque ornamentis ac prerogatiuis perfrui debere, quibus ubique terrarum uti possunt ac posse sunt soliti poete ac liberalium et bonestarum hystoriarum ac sacrarum artium professores &c. Notae loci et temporis absunt, subplendae e *Menckenii Scriptt. Rer. Germ. T. III. p. 2039. videlicet Francofordiae 1442. 27. Jul.* Itaque docet, a *Friderico* non primum omnium, sed tantum primum inter Germanos laureatum fuisse *Conradum Celtem*.

DCXXI.

R. 2172 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 263. 4. non una manu, currente calamo conscriptus, rubricis distinctus, et olim *domus Sancte trinitatis prope Brunnam ordinis Carthusiens.* sequentia ad *Controversias Hussiticas* pertinentia continet: I. *Incipit Tractatus primus de auctoritate Romane Ecclesie.* Initium est: *Tu es petrus et super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Mat. XVI. Exploraturus christus fidem apostolorum*

per interrogationem, sicut explorauit fidem Chanaanee per exaudicionis dilacionem &c. Examinat Autor veras notiones Capitis, Fundamenti, Ecclesiae, et ex iis Corollaria contra Wiclefistas et Hussitas infert.

II. fol. 41. p. 2. *Incipit Tractatus secundus de Clauibus Ecclesie.* Ita: *Tibi dabo clauis regni caelorum et quodcunque ligaueris super terram &c. licet omnes apostoli pari consortio sicut sonat Canon Cypriani XXIII. q. 1. &c. Praerogativam Ecclesiae Rom. et auctoritatem Pontificis hic stabilitum in Noster contra Eosdem. Nomen quidem suum ille non prodit, scriptionis tamen tempus liquet fol. 89. ubi de sumtione Eucharistiae feria sexta magna sub una specie ait: *illam institutionem sacrum Concilium Constan. vniuersalem ecclesiam representans confirmauit.* Opus suum ad religiosum aliquem Coetum direxit, *Fratres carissimos* passim per decursum compellendo. Ita fol. 7. p. 2. *Repellamus ergo a nobis fratres carissimigannitus vulpium et vlulatus luporum scilicet wiklefistarum et busfistarum &c. Germanus* fuisse videtur e fol. 18. p. 2. ubi de triplici Potestate in mystico Ecclesiae corpore loquens ait: *Tertia est in regione pedum sicut potestas ciuium artificum kniehtonum et pastorum; manifeste enim τὸ Kniehtonum a Knecht, Servus, Mancipium deductum est. Denique non procul a Silesia scripsit; cur enim alias agens de fluvio Vistulam adoptasset?**